Bericht

über das

Königliche Gymnasium

zu

Emmerich

für die Zeit von Herbst 1873 bis Ostern 1876,

mit welchem

zu den öffentlichen Prüfungen und der Schlussfeier am 10. u. 11. April

einladet

der Director des Gymnasiums

Dr. J. Köhler.

Hierbei eine Abhandlung des Herrn Oberlehrers Professors ***A. Dederich*:**
Emendationes Livianae. Pars I.



1876. Progr. Nr. 351.

Emmerich,
J. L. Romen'sche Buchdruckerei.

Emendationes Livianae.

Pars prior.

I. 14: **partem militum locis circa densa obsita virgulta obscuris subsidere in insidiis iussit.** Sic in omnibus libris manu scriptis traditum est. nec aliter ediderunt J. Fr. Gronovius, Drakenborchius, Alschefskius, alii. At vero cum inter omnes conveniat Livium ita scribere omnino non potuisse, mirum non est alios aliter verba mutare et sanare conatos esse. Weissenbornius (in editione V. anni 1871, quae est in mea manu) corrigit: *locis circa, inter densa virgulta obscuris.* Recte quidem *circa* trahit ad *locis* (— i. e. locis quae circa erant —); sed eici *obsita* et inculcari *inter* nullo pacto placet. Multos veterum et recentiorum virorum doctorum sanandi conatus praetermittimus. Forsitan proponas, ut *obsita* consentiens faciamus cum *locis:* sed quid tum faciendum adiectivo obscuris? Hertzius edit: *partem militum, locis circa densis obsitis virgultis, obscuris subsidere in insidiis:* ut *obscuris* pertineat ad *insidiis.* At talis tot ablativorum cumulus intolerabilis est, quibus cum aures laedantur tum libri scripti abhorreant, omnes constanter *densa obsita virgulta* detinentes. Quamquam etiam haec ipsa verba, quoniam quidem „loca obsita virgultis" recte dicuntur, contra „virgulta obsita" vulgo non dicuntur, sic coniuncta locum habere nequeunt; unum ex iis erit amputandum. Atque cum res ita se habeant, simplicissima mihi videtur esse emendatio: *locis circa, densa ob virgulta obscuris, subsidere in insidiis iussit.* Applicata semel praepositione *circa* ab insipiente librario ad sequentem accusativum *densa virgulta*, facile fieri potuit, ut ex superflua praepositione *ob,* quippe cui nullus iam reliquus esset locus, tritissima illa enuntiatio *obsita* excogitaretur et supponeretur. Haud parum favere emendationi meae videtur, quod iam antiquitus inter viros doctos non satis constitit, unum vocabulum (*obsita*) an duo (*ob sita*) in libris scriptis oculi eruerint.

In sequentibus Gronovius, Drakenborchius et Hertzius Livium faciunt narrantem: *Fidenates, prius paene quam Romulus quique cum eo equis ierant, circumagerent frenis equos, terga vertunt.* Alschefskius cum Lipsio aliisque legunt: *quique cum eo equites erant.* Weissenbornio modo legi placuit: *quique cum eo equis abierant;* modo idem edendum curavit: *quique cum eo abire*

visi erant; cui addictus tum Freyius legit: *quique cum eo visi erant abire.* Quod si partim mutilatas partim interpolatas optimorum codicum lectiones explicaveris et explanaveris, haud mediocre, ut opinor, momentum ad rem disceptandam habebunt haec. Antiquissimus codex Parisinus praebet: *quique cumeoequisierant;* quod monstrum conglutinatum Gronovius et Drakenborchius disponunt: *quique cum eo equis ierant.* Equidem illud digerendum esse arbitror hoc modo: *quique cum eo equi . . . si erant,* aut: *quique cum eo eq . . . visi erant,* aut denique duplicatis *ui* vel *vi* syllabis (quarum altera excidit): *quique cum eo equi . . . visi erant.* Illud *visi erant* probatur auctoritate codicum Medicei, Harleiani, Florentini et Leidensis primi. Harleianus autem etiam amplius mutilatus est, legens tantum: *quique cum eo visi erant,* prorsus omisso vocabulo *equi.* Et recte quidem absunt „equi“, quorum mentio inconcinna sit, praesertim quum iidem commemorentur in sequentibus: *circumagerent frenis equos.* Id Gronovio et Drakenborchio et aliis, qui eos secuti sunt, fuit respiciendum. At contra aptissimum locum obtinent *equites,* ut sanatam eo supplemento sententiam esse arguas: *quique cum eo equites visi erant.* Verum enimvero hac quoque medicina mutilatio nequaquam funditus sublata est. Nam quamvis auctoritas verbi *visi erant* vix quicquam dubitationis relinquat, tamen desideratur infinitivus ab eo pendens, quo significetur, quid equites fecisse visi sint: atque illi desiderio optimus occurrit codex Mediceus hac interpolatione: *quique cum eo quique cum equis abierant visi erant:* ut exaratur etiam in Florentino et Leidensi primo, omisso altero *quique* et pro *equis* prospera fortuna servato *equites,* quod iam supra Livio vindicavimus. Hinc efficitur, ut desideratus infinitivus sit *abire* et ut sana utique Livii verba esse videantur: *quique cum eo equites abire visi erant,* i. e. „und welche Reiter mit ihm (Romulus) sich davon zu machen (zu fliehen) geschienen hatten, i. e. und welche zum Scheine geflohen waren“, qui fugam simulaverant, ut supra ipse rettulit Livius.

I. 15: in omnibus libris scriptis editisque est: **Ab illo enim profecto viribus datis tantum valuit.** Gronovius et Drakenborchius ex libris haud spernendis edunt: *profectu.* Sed utrique viro, quamquam nescio quae interpretatio extricari possit, neque unum neque alterum sufficit; et iure meritoque Lipsius adnotat: „latet aliud“. Weissenbornius Livium illud *profecto* addidisse putat, „um die Thatsache zu bekräftigen, daß Romulus nicht allein den Plan gefaßt, sondern auch durchgeführt habe.“ Qua interpretatione minime removetur offensio, quam in veteribus editoribus superflua illa affirmatio movet. Etiam quod pronomen *ab illo* suppletur nomine „a Romulo«, iustam suspicionem excitat et verba adulterina esse coarguit. Sana totius narrationis ratio longe aliud postulat, atque me quidem iudice Livius sua manu scripsit: *Ab illo enim tempore aucta viribus datis tantum valuit:* „Seit der Zeit nämlich war die Stadt (— „urbs“ supplendum est ex antecedentibus —), gehoben durch die ihr von Romulus verliehenen Kräfte, so mächtig, daß —“. Nimirum postremae litterae vocabuli *enim* absorpserunt primam similiter sonantem syllabam vocabuli *tempore,* et orto semel parum accurata librarii manu vocabulo *pro,* ex coniunctis vocabulis *pro aucta* facillime emersit error, qui adhuc quasi nebula quadam locum obduxit.

I. 27: **Idem imperat, ut hastas equites erigere iubeat.** Editores recentiores, Weissenbornius Freyius Hertzius, legunt: *Item . . . erigerent,* verbo *iubeat* eliminato. At quid habent

codices? Parisinus: *Idem-erigerent iubeat;* Mediceus: *Idem-erigere erigerent iubeat;* Leidensis primus et alii: *Idem-erigere iubet;* alii denique: *erigere studeat (studeant).* Nonne hinc sole clarius est, Beatum Rhenanum, Gronovium, Drakenborchium, Alschefskium, alios recte edidisse: *erigere iubeat?* Iam Heusingerus bene interpretatus est: „Zugleich befahl er ihm (dem Reiter), die Reiterei die Lanzen richten zu lassen". Livium non aliter scripsisse, etiam integer narrationis tenor convincit. Eques nuntiat regi abire Albanos. Tum rex equitem in proelium redire iubet: quod Albani facerent, suo iussu fieri. Idem (rex, non *item*) imperat equiti, ut equites iubeat erigere hastas. Quod factum est: ita ut magna peditum Romanorum pars Albanos abeuntes conspicere non possent. Rex constitit, ubi erat, adversus Veientes.

I, 29: **Ut vero iam equitum clamor exire iubentium instabat, iam fragor tectorum — audiebatur, pulvisque — omnia impleverat, (:) raptim — elatis, cum — exirent, iam continens agmen migrantium impleverat vias, et conspectus — integrabat lacrimas, vocesque etiam miserabiles exaudiebantur** etc. Ita novissimo tempore (ab Hertzio, Freyio Weissenbornio) periodus constructa est, aut commate post *impleverat* aut duplici puncto interposito. Editores antiquiores aliter, sed vix recte construxerunt. Haud cuiquam videbitur esse dubium, quin apodosis a *raptim* ordiatur. Ut tripliciter compositam protasin (*cum — iam — que*), ita etiam apodosin tripliciter discriptam (*cum — et — que*) viri docti agnoverunt. Quod quidem recte se habet de protasi, minime vero de apodosi. Nam si in apodosi tria illa membra admiseris, primum membrum *iam continens agmen migrantium impleverat vias* necesse foret continere sententiam primariam (Hauptgedanken, Hauptumstand), quae antegressam requireret sententiam oppositam: quod non est ita, quum membrum, quod diximus, secundariam tantummodo sententiam (Nebengedanken, Nebenumstand) contineat. Duo quae sequuntur membra (*et — que*) re vera continent sententias primarias, praecedentibus *silentium triste ac tacita maestitia* oppositas. Quod „continens agmen migrantium implevisse vias" narratur, ea narratio iam per se pro sententia primaria haberi nequit. At quaenam tandem in tota descriptione sunt, quas quaerimus, sententiae oppositae? Livius primum depingit triste silentium, consilium deficiens, rogitantes in liminibus et pervagantes domos suas. Ex hoc affectu excitat homines equitum clamor exire iubentium, fragor tectorum et pulveris nubes omnia implentes: atque his rebus efficitur, ut quae quisque potest efferat et domos relinquat, ut lacrimae questusque in viis exoriantur communem fortunam conspicientium, praesertim deorum templa praetereuntium et velut captos relinquentium deos. Ut brevi dicam, sententiae quae opponuntur sunt hae: una mutum silentium et consilium deficiens, altera domos relinquentium lacrimae et miserabiles voces in viis obortae. „Hominum vias implentium copia" nihil aliud potest esse nisi sententia secundaria, quae, ut verum dicam, in verbis *iam impleverat* grammaticas rationes intuenti ne probari quidem satis potest, quoniam scribi debuit *iam implebat.* Si verba *iam continens agmen migrantium impleverat vias* genuina sunt (— quod propter antecedens *omnia impleverat* merito in dubium voces —), ea tanquam per parenthesin dicta esse fateberis, pro *iam enim impleverat,* atque ad sententiae secundariae instar duabus quae sequuntur sententiis primariis *et conspectu aliorum* et *vocesque exaudiebantur*

praemissa. Atque ita verba intellexisse videtur Drakenborchius, qui ea, parenthesis loco, maiori interpunctione (:) distinxit. In hunc modum totius loci habitus certe tolerabilis videtur. At vero cum vocabulo *iam* vix quisquam in gratiam veniat, si quidem consideret, iam in protasi legi *iam omnia impleverat*, atque illud *iam* in apodosi non satis recto loco positum esse. Fortasse aliquis proponat, ut *iam* mutetur in *nam*, ita ut sententia eadem maneat, quae est in parenthesi. Verum alia occurrit medicina, qua periodo dignior certe tribuitur facies, pro *iam* legendo *postquam*. Hac mutatione vel potius restitutione utrique apodosis membro (*et consp. — vocesque*) primum ablativus absolutus *raptim elatis* praeponitur, tum se excipiunt partes orationis cum *quum* et *postquam* incipientes. Qua in re tecum animo reputes, sententiam cum *postquam* incipientem non respicere ad praecedentia, sed potius ad sequentia membra (*et — que*), quibus ea tantummodo praeposita est. Tempus plusquamperfectum *impleverat* cum per se probatur, tum etiam ceteris temporibus *instabat, audiebatur, impleverat, integrabat, exaudiebantur* convenit. Denique periodi, in quibus *quum* et *postquam* se excipiunt, a Livio saepissime conformantur. Tota periodus hac mea emendatione auctore nostro fit dignissima. Sermone nostro ablativum absolutum et sententiam per *quum* introductam mutabimus in sententias primarias: „Da trugen sie eilends hinaus was sie konnten und verließen sie ihre Häuser", et pergemus: „und, nachdem sich die Straßen gefüllt hatten, machten sich beim Anblick des gemeinschaftlichen Jammers Thränen und Klagen Luft."

Coniunctio *postquam* haud raro a librariis aut corrupta aut plane omissa est et apud alios scriptores et apud ipsum Livium. Quoniam in his schedis de Livio agitur, duas eiusdem auctoris periodos afferre mihi liceat, quas restituta coniunctione illa sanatas esse persuasum habebis. Una est XXI. 3: *In Hasdrubalis locum haud dubia res fuit, quin, postquam praerogativa militari extemplo iuvenis Hannibal in praetorium delatus imperatorque ingenti omnium clamore atque adsensu appellatus erat, favore etiam plebis sequeretur.* Altera est XXI. 8: *oppidani ad omnia tuenda atque obeunda, postquam multifariam distineri coepti sunt, non sufficiebant.* Criticas rationes in posterum tempus reicio, quo plures eiusdem libri locos mea opera studioque emendatos publici iuris faciam.

I. 32: **omnia ea ex commentariis regis pontificem in album elata proponere in publico iubet.** Sic non solum in optimis, sed in omnibus paene codicibus scriptum est; atque ita edunt Alschefskius, Weissenbornius et Freyius, quamquam Gronovius, Drakenborchius, Hertzius, alii *relata* receperant. Miro quodam casu factum est, ut aequa diversitas simili loco Ciceronis Or. II. 12 occurrat, ubi in optimis et plurimis codicibus scriptum legimus: *omnes res singulorum annorum mandabat litteris pontifex maximus efferebatque in album et proponebat tabulam domi.* Nihilo minus Orellius edidit *referebatque* eumque secutus est Piderítus; et hercle optimo iure. Ad librorum lectionem *efferebat* adnotat Orellius: „quod vix ita vindicari potest, ut significare dicatur in albo „altius" constituto proponere: album enim istud quoque ita collocatum esse debebat, ut, quae formula erat, „de plano" recte legi posset". Atque ego, quod ad nostrum illud *elata* adtinet, adicio, loquendi usum nullo pacto permittere, nec ut verbum *efferre* explicetur „hochstellen zum Behufe des bessern Sehens" (— quo respectu „proponere in publico" plane sufficit —), nec ut

interpretatio sive „herausnehmen" (ex commentariis in album) sive „übertragen" (quod latine est, „transferre") ullo modo tolerari cuiquam posse videatur. Satis notae sunt formulae: „referre in tabulas, in commentarios, in libros, in acta", similia: atque ex hoc quasi solemni usu non solum Ciceroni sed etiam Livio formula „in album referre" vindicanda et restituenda est.

I. 35: **orationem dicitur habuisse — compositam: cum se non rem novam petere.** Haec est consentiens omnium librorum lectio. Provocatur ad Liv. I. 48: *cum ille fortiter ad haec,* ubi suppletur „diceret". Talia tam facilis supplementi exempla multa afferri possint; sed nostro loco res longe aliter se habet. Quem locum comparavimus, eo illud *cum* pertinet ad narrationem, at contra nostro ad pronuntiata Tarquinii verba, quae per antecedentia *orationem habuisse compositam* introducta sunt. Quam ob causam illud *cum* in vitio esse apparet. Summa laude digna est ratio Strothii (apud Heusingerum). post *accitum* inserentis *tum se.* Verum mihi persuasum est, Livium scripsisse *nimirum.* Si nostro loco litteram *m* praecedentis vocabuli *compositam* cum vocabulo *cum* in unum contraxerimus, ex mixto confusoque monstro *mcum* facillime et evidentissime enucleabitur *nimirum,* quo nihil hic potest inveniri aptius et rei accommodatius.

I. 37: **dolus, missis qui magnam vim lignorum, in Anienis ripa iacentem, ardentem in flumen conicerent: ventoque iuvante accensa ligna, et pleraque in ratibus, impacta sublicis cum haererent, pontem incendunt.** Sic legitur in omnibus codicibus, nec aliter est in libris usque ad hunc diem editis, interpunctione tantum variante. Primum quaero ex lectore, num magnam vim lignorum „ardentem" in flumen coniectam esse serio opinetur. Videlicet respondebit, id hercle nimis mirabile videri. Dionysius Halicarnassensis, qui (III. 56) eundem dolum copiosius enarrat, perspicuis verbis de lignis sarmentisque „aridis" loquitur, quibus naves ratesque in flumine repletas esse scribit (*σκάφας ποταμηγοὺς καὶ σχεδίας, ξύλων αὔων καὶ φρυγάνων γεμούσας*). Unde manifestissimum est, Livium non scripsisse *ardentem,* sed potius *arentem.* Atque haec emendatio ad sanam totius loci sententiam explorandam viam munit. De lignis accendendis postea fit mentio (*accensa ligna*). At necessaria quaestio erit, quonam loco ligna accensa fuerint. In ratibus demum, inquies, de quibus Livius postea loquitur; et postquam ligna accensa sunt, etiam ventus ignem adiuvare poterat (*ventoque iuvante*). Quid aio? Ventus adiuvabat ignem? Immo vero vento commemorato nihil hic negotii est cum igni; verba *ventoque iuvante* potius coniungenda sunt cum sequentibus *impacta sublicis* (quae verba Drakenborchium commatis signo distrahere non decebat). Atque id ipsum perspicue dicit Dionysius, qui Tarquinium, secundo vento animadverso (*φυλάξας ἄνεμον οὔριον*), ignem refert iussisse in ligna conici et naves ratesque secundo ferri flumine (*πῦρ ἐνεῖναι ταῖς ὕλαις ἐκέλευσε καὶ μεθεῖναι τὰς σκάφας καὶ τὰς σχεδίας φέρεσθαι κατὰ ῥοῦν*), quae deinde ad pontem adigebantur eumque ardentium lignorum, quae in iis erant, ope incendio dederunt (*ἐμπίπτουσι τῇ γεφύρᾳ καὶ ἀνάπτουσι αὐτὴν πολλαχόθεν*). Potuit quidem ventus etiam augere ignem, sed venti maxime erat, ut rates celerius secundo flumine deferrentur. Quod quamvis perspicuum sit, tamen nonnihil difficultatis restat in Livii verbis *in flumen conicerent* atque *et pleraque in ratibus.* Ligna accensa sunt et (i. e. et ea quidem) pleraque in ratibus, ut narrat Livius; unde sequitur, non

„omnia" ligna in flumen coniecta esse, sed magnam eorum partem in rates deportatam et in his accensam esse (quod etiam Dionysius refert): atque inde amplius sequitur, illa *in flumen conicerent* non de verbo interpretanda esse „in aquam conicerent", sed „in rates, quae in flumine erant". Qua interpretatione admissa Livius luculentae Dionysii narrationi consentit, et inter utrumque auctorem id unum superest discrimen, quod apud Dionysium omnia ligna in naves ratesque congesta sunt, apud Livium pars: in quo id profecto satis mirabile et portentosum restare fateberis, quod lignorum pars in aquam coniecta esse perhibetur. Atque hoc potissimum impellere potuit Weissenbornium, ut confiteretur: „Doch ist der Ausdruck nicht klar." Quin etiam Gronovio narratio non satis videbatur perspicua: quare legi volebat: *et pleraque ratibus impacta sublicisque cum haererent;* nempe coniectabat vir egregius, „pontem" partim ratibus partim sublicis esse subnixum. At huic coniecturae repugnat perspicua Dionysii narratio, qui rates et pontem plane distinguens rates in pontem esse adactas dicit. Postremo ad finem mihi perducere hanc disputationem licebit adnotanti, discrimen, quod inter Dionysii et Livii narrationem intercedere supra indicavimus, prorsus evanescere, si *pleraque* non interpretamur „das meiste", sed haud rarae loquendi consuetudini accommodatius „in großer Menge", quae interpretatio praeterea ipsius Livii verbis *magna vis lignorum* magis convenit. „Und durch die Unterstützung günstigen Windes wurde das angezündete Gehölz gegen das Pfahlwerk getrieben, blieb daran hängen und steckte, zumal da es sich in großer Masse auf den Flößen befand, die Brücke in Brand".

I. 40: **Tum Anci filii duo, etsi antea semper pro indignissimo habuerant se patrio regno tutoris fraude pulsos, regnare Romae advenam non modo vicinae sed ne Italicae quidem stirpis, tum impensius iis indignitas crescere, si ne ab Tarquinio quidem ad se redeat regnum.** Posterius *tum* respicit ad praecedens *antea* et post interiectam sententiam prius *tum* excipit; particula „tamen" post *etsi* desiderata abesse poterat, quia sententia opposita per se ipsa perspicua est: insertae sententiae effecerunt anacoluthon. Hae Weissenbornii fere rationes veterum editorum interpretationes complectuntur. Qui autem totam periodum atque sententiarum summam deligentius indagaverit, is in huiuscemodi interpretationibus vix ac ne vix quidem acquiescere poterit. Non solum duo ista *tum*, quae se excipere affirmes, sed etiam particula concessiva *etsi*, quae postulat, ut „tamen" suppleatur, quod supplementum nisi vi quadam excuti non posse apparet, denique etiam illud anacoluthon: — ea omnia dubium non esse coarguunt, quin periodus corrupta sit, quamquam ne ulla quidem scripturae varietas est tradita. Pro priore *tum* exspectes sententiam cum *At* oppositam; quod quidem ex duabus ultimis praecedentis verbi *erat* litteris facile restituas, ita ut, etiam altera levi mutatione admissa, sententia incipiat *At iam Anci filii.* Sed gravior oritur quaestio de particula *etsi.* Mea quidem opinione illa particula distrahenda est (*et, si*) statuendumque. ante eam simile vocabulum excidisse, verbum *exstitere;* ut Livius scripsisse videatur: *At iam Anci filii duo exstitere, et si habuerant — —, tum impensius iis indignitas crescere.* Hac simplici restitutione primum quasi uno ictu anacoluthia amovetur, tum non amplius desideramus „tamen", denique etiam alterum *tum,* quod vix tolerabile videtur, evanescit. „Dagegen nun traten die zwei Söhne des Ancus auf, und wenn sie

schon vorher immer es für höchst unwürdig gehalten hatten — —, so wuchs jetzt ihr Unwille um so heftiger, wenn nicht einmal vom Tarquinius die Herrschaft an sie zurückkehren sollte."

Paula infra narratur: *Sed et iniuriae dolor in Tarquinium ipsum magis quam in Servium eos stimulabat. et quia gravior ultor caedis, si superesset, rex futurus erat quam privatus, tum Servio occiso quemcunque alium generum delegisset, eundem regni heredem facturus videbatur: ob haec regi insidiae parantur.* Sunt qui Gronovio auctore interfectores contra Tarquinium se vertisse existiment „tribus" ex causis. Quod secus est. Duae tantum considerationes (*et — et*) locum habebant: secundum unam Tarquinius interficiendus fuit, non Servius: altera spectat ad futuram Servii caedem. et haec ipsa pari modo in duas discribitur partes. Si futurum erat, ut Servius interficeretur, quid tum? Aut rex superstes exstitit vindex, aut novum generum delegit successorem. In utramque partem Marciis regni hereditas perdita erat: ob haec Tarquinio caedes parabatur. Atqui duae illae partes nisi per *quum — tum* distineri non possunt. Ergo recte fecerunt viri docti, qui amoto isto *quia* Livio restitui *quum* voluerunt.

I. 41: **Itaque per aliquot dies, cum iam exspirasset Tarquinius, celata morte per speciem alienae fungendae vicis suas opes firmavit. Tum demum palam factum est comploratione in regia orta. Servius praesidio firmo munitus primus iniussu populi voluntate patrum regnavit.** Sic legunt novissimi editores, Weissenbornius et Freyius. Optime codices Alschefskii, item codex Rhenani, Florentinus et duo Leidenses habent: *palam factum et compl.:* ex quo viri docti fecerunt *factum est* (sc. Tarquinium exspirasse). At semel hic notandum est, ad *tum demum* verbum finitum, quod vocant, omnino esse non posse *palam factum est*, quippe quo res levior minorque contineatur; praecipue autem animadvertendum, totam Livii narrationem ad ampliorem tendere periodum atque discerptam distractamque orationem, qualem viri docti vulgarunt, prorsus excludere. Atque in hac desiderata periodo ad *tum demum* referendum est verbum finitum *regnavit*. Rectissime hoc primus intellexit et elocutus est Sigonius. *Itaque per aliquot dies — suas opes firmavit; tum demum — regnavit*: hunc in modum Livius periodum conformavit. Nonnullis diebus, per quos regis mors celabatur, Servius ad firmandas suas opes usus est: tum demum, quum opibus firmatis mors non amplius potuit occultari, rex exstitit. Quid igitur clarius est, quam lectionem *factum et* esse abominandam? In multis bonis codicibus scriptum est *palam facto et compl.*, quod retinuit Gronovius, quem secutus est Drakenborchius: unde interpungendum esse dicas: *tum demum, palam facto et comploratione in regia orta, Servius — regnavit.* „Nachdem kund geworden war (sc. Tarquinium exspirasse) und zwar dadurch daß die Todtenklage in der Königsburg erhoben worden". At vero etiam ea ratio non omnibus numeris placet, quum usu constet, post ablativos absolutos, qui cum ablativo *palam facto* comparari possunt (quales sunt *audito, comperto, cognito*, alii), semper supplementum quoddam, plerumque accusativum cum infinitivo, subsequi solere. In Livii (XXII. 55) loco a Gronovio allato: *et nondum palam facto vivi mortuique per omnes paene domos promiscue complorarentur*, paulo aliter, sed tamen pari modo ex sequentibus *visi mortuique complorarentur* ad verba *palam facto* supplendum erit „qui vivi mortuique essent". Quamobrem etiam lectionem

palam facto non satis esse probabilem indico. Codex Harleianus primus exhibet *facta;* atque hanc scripturam ego utique veram esse censeo. Ex praecedenti *celatu morte* supplendum est „morte". Sequens *et,* quod supra vi explicativa positum esse diximus, retineri fortasse possit; attamen levissima mutatio *ex* („in Folge") admissa omnem dubitationem dispellit. Ac sane non aliter iam Sigonio legendum esse videbatur, quem secutus et Freinshemius. Ergo dignissima Livio nostro periodus sic procedet: *Itaque per aliquot dies — celatu morte — suas opes firmavit; tum demum, palam facta* (sc. morte) *ex comploratione in regia orta. Servius — regnavit.* Denique nescio an tibi fortasse magis placeat: *palam facta ea* (sc. morte), omisso *ex.* Quia litterae *a o u* sono tantum differunt, lectio *facta* in lectionibus *facto* et *factu* (quam posteriorem ab Hertzio video adnotatam) haud spernendum acquirit adminiculum.

Initio eiusdem capitis in verbis: *clamor inde concursusque populi, mirantium, quid rei esset,* genetivus *mirantium* (i. e. hominum mirantium) non est appositio ad *populi,* sed pariter a *clamor concursusque* pendet, ac *populi.* „Geschrei und Zusammenlauf des Volkes, von Gaffenden und Fragenden, was es da gäbe." Dionysius III. 73 loquitur de concurrente auxilio (*συνδραμούσης πολλῆς βοηθείας*), sc. populi. Ergo invita Minerva Madvigius *populi* spurium esse iudicat.

I. 48: **Ipse prope exsanguis cum semianimis (semianimes) regio comitatu domum se reciperet pervenissetque ad summum Cyprium vicum.** In hanc lectionem consentiunt codices, et ex his in plurimas editiones transiit: *cum semianimi regio comitatu.* Etsi haud dubium est, quin illa *pervenissetque ad summum Cyprium vicum* ex sequentibus hic interpolata sint, tamen fieri non potest, ut idem de verbis *cum semianimi —— reciperet* statuas. Repetitio verborum *cum — reciperet* parem habet excusationem, ac supra cap. 29 *omnia impleverant — vias,* alia aliis locis similia. Sed illud probe considerandum esse videtur, Livii narrationem cum Dionysii dissidere. Is IV. 37 narrat: Servius festinavit ad curiam, *οὐ πολλοὺς περὶ αὑτὸν ἔχων.* Per gradus praeceps datus vix a casu se refecit: et ut omnia vidit plena esse comitum Tarquinii faventium, suorum autem amicorum admodum paucos adesse (*τῶν δὲ αὑτοῦ φίλων πολλὴν ἐρημίαν*), se allevavit et abire coepit paucorum ope sustentantium et comitantium (*κρατούντων καὶ παραπεμπόντων αὐτὸν ὀλίγων*). Dionysio igitur teste Servius, cum domum abiret, comitatum secum habebat. Livius contra ipsis verbis refert, „regis apparitores atque comites fugisse": Servius solus domum redit, atque a Tarquinii satellitibus ex fuga retractus trucidatur. Inclinat sane animus Livii verba ex narratione Dionysii restituere, ita ut aut vulgatae lectioni *semianimi regio comitatu* suffrageris, aut emendes *desperante animis regio comitatu,* aut *sustinente demissis animis regio comitatu:* nimirum ut abiectus animus et desperatio comitum depingatur. Quo in genere etiam Jenickii (apud Weissenbornium) coniectura *segni nimis regio comitatu* non nullam approbationem sibi vindicat. Gronovius conicit: *minime regio comitatu.* At vero, quamvis lucteris, nulli in fuga et caede praesto erant apparitores atque comites. Quamobrem, ingeniosa ac paene divina Gronovii coniectura *minime* adiutus, propono: *Ipse prope exsanguis cum se minime regio habitu domum reciperet.* Vocabulum *semianimis,* quod codices constanter tenent, suspicionem

movere necesse est propter exitum *is* (pro *i*, quod unum certe nonnihil sapit); atque prorsus condemnatur lectione *semianimes*, quae in antiquissimo codice Parisino et Rhenani reperitur. Neque tamen ab exitu vocabuli corruptio deducenda est, sed ab eius initio. Nam vix dubitari potest, quin Livius manu sua scripserit *se minime*. Sed librarius in unum contraxit *seminime*; atque ex hoc monstro, in quo videlicet abscondi videbatur tritissimum illud *semi*, puerili quadam sagacitate excogitatum est notissimum adiectivum *semianimis*. Postquam pronomen *se* ex loco suo semel evanuit, illud in sequenti loquendi formula (*domum se reciperet*) repetendum et addendum fuit. In exitu *es*, quem antiquissimi codices servarunt, praesertim in littera *e* quasi divinitus ex naufragio recepta, opportunissime exitus genuini primique vocabuli *minime* in lucem emergit. Denique si cui mea emendatio *habitu* nimis violenta esse videatur, ei nihil habeo quod commodem remedii. Minime regia fuit Servii fortuna, cui domum redeunti nemo homo opitularetur. Nisi forte putas, posse „comitatum" de quibusdam intellegi hominibus, qui in publico, postquam comites, qui antea praesto fuerant, dissipati sunt, fortasse misericordia moti infelicem regem adiuverint.

I. 54: **ut omnia unus prae Gabiis posset.** In libris scriptis exaratur aut *prae* aut *pre* aut una littera *p*, vel postposito signo puncti vel lineola superimposita. Illud *prae* nihili esse, dudum intellectum est: quare a viris doctis aut omissum est, aut uncis inclusum, aut vario modo mutatum. Quid plura? Ego auctorem nostrum scripsisse censeo *patrare*. Frequentissima syllabarum *ra* et *re* abbreviatio ansam ad corrumpendum dedisse videtur. Sententiae, quae nostra emendatione restituitur, satis congruit narratio Valerii Maximi VII. 4. 2: *ut apud omnes plurimum posset*; et: *quemadmodum in sua manu haberet universa.*

I. 55: **qui quadraginta milia pondo argenti seposita in eam rem scribit, [quia] summam pecuniae neque ex unius tum urbis praeda sperandam, et nullius ne horum quidem magnificentiae operum fundamenta non exsuperaturam.** Sic edunt Weissenbornius Hertzius Freyius. Codex Parisinus, Harleianus primus et Rhenani tradunt: *quia summā — sperandā — exsuperaturā*; Mediceus: *quia summa — speranda — exsuperaturā*; Sigonii, Florentinus et Harleianus secundus: *quia summa — speranda — exsuperatura*. In optimis igitur codicibus scriptum reperimus aut *summa* aut *summā*. Optimo iure iam Alschefskius adnotavit, lineolam superimpositam non prima sed altera manu additam videri. In lectione *quia* omnes libri conspirant; nefas igitur est eam temere eliminari. Facta a nonnullis viris doctis mutatio in *quippe* criticas rationes diligentius consideranti admitti omnino non posse videtur. Ne plura: haud dubie Livio restituendum est: *cum ea sit summa pecuniae — speranda — exsuperatura.* Nimirum istud *quia* originem suam debet contracto scribendi exemplo *q̄ea*, i. e. *quum* (*cum*) *ea*; atque quod sequitur *sit* a primis litteris sequentis vocabuli *summa* absorptum est. „Da (weil) das eine Geldsumme ist, welche aus der Beute einer einzigen Stadt der damaligen Zeit nicht zu hoffen war, und welche auch die Fundamentkosten eines jeden Prachtbaues, selbst der Prachtbauten der Jetztzeit übersteigen würde."

I. 56: **Tarquinii, ut Sextus — ignarus — esset — iubent; ipsi inter se etc.** Haec est scriptura vulgata. Codices ad unum omnes habent: *Tarquinius Sextus — ut ignarus —*

esset; eamque lectionem amplectitur Hertzius. Quamvis vulgo librorum scriptorum consensum, quantum fieri possit, tenaci animo necessarium sit tueri, tamen hic gravissimae in promptu sunt causae, quae nos deserere eam cogunt. Una causa est, quod ad *iubent* desideratur subiectum, quod, qui accuratius totum nexum consideraverit, abesse non posse intelleget, quin etiam ideo non potest abesse, quod sequitur *ipsi;* altera posita est in ipso pronomine *ipsi,* quod non habet, quo referatur. Atqui ut subiectum ex verbis nimium remotis *is tum ab Tarquiniis ductus Delphos* suppleamus, nemo nobis persuadebit. Ergo probabilis est opinio, genuina Livii verba *Tarquinii ut,* quae servata sunt in scriptura vulgata, iam antiquitus contrahendo corrupta ab librario esse in unum nomen *Tarquinius;* unde factum est, ut ante *ignarus* inculcari *ut* nescio cui necesse esse videretur.

I. 59: **inde parte praesidio relicta Collatiae ad portas custodibusque datis, ne quis** etc. Ita nunc edunt Weissenbornius et Freyius. At in libris scriptis est: *inde pari* (*paris, patri, patres*) *praesidio relicto Coll.;* unus tantum habet: *pars praesidio relicto;* quare nonnulli editores Gronovii coniecturam *pars praesidio relicti* avide amplexi sunt. Me quidem iudice librorum lectio *pari* retinenda est, non significans „eine hinlängliche Besatzung", praesidium quantum et tempus et locus postulabant, ut Alschefskius primus est interpretatus (— nam praesidii quod satis est disponendum fuisse, per se intellegitur —), sed „eine gleiche Besatzung", ita ut ante *ad portas* modo inserendum sit *ac,* et praeterea post *portas* fortasse per abundantiam adiciendum *eius.* Quas facillimas emendationes amplexus totam periodum in hunc modum reformabis: *Inde, pari praesidio relicto Collatiae ac ad portas eius, custodibusque datis, ne quis — nuntiaret, ceteri armati — Romam profecti.* Ut *ac* absorptum est inter *ae* et *ad,* ita *eius* inter *as* et *cus,* simillimas utique syllabas, excidit. Quem sanandi modum vix ullam mutationis speciem prae se ferre vides. Collatiae potissimum magnorum certorumque consiliorum rationes opus esse videbantur, praesidium in urbe et par praesidium ad urbis portas, ad hoc custodes disponendi erant, impedituri, ne quis ullum motus Collatiae, sceleris commissi sede, facti rumorem ad Tarquinios deferre posset.

Prof. **A. Dederich.**



V. Anfang des neuen Schuljahres.

Das Schuljahr 1876/77 beginnt **Montag den 1. Mai** mit einem feierlichen Hochamt. Die Prüfungen für die neu aufzunehmenden Schüler finden am **Samstag den 29. April** von 9 Uhr Vormittags ab statt. Anmeldungen nimmt der Director bis dahin jederzeit entgegen. Den Anmeldungen sind beizufügen:

1) ein **Abgangs-Zeugniss** von der zuletzt besuchten Schule,

2) eine **Impf-** oder **Revaccinations-Bescheinigung.**

Die neu angemeldeten Zöglinge des **Convicts** haben sich Freitag den 28., Abends, einzufinden und dem Herrn Regens Israel vorzustellen.

Schlussbemerkung.

Die Schule ist darauf bedacht, durch die den Schülern aufgegebene häusliche Beschäftigung den Erfolg des Unterrichts zu sichern und die Schüler zu selbständiger Thätigkeit anzuleiten, aber nicht einen der körperlichen und geistigen Entwicklung nachtheiligen Anspruch an die Zeitdauer der häuslichen Arbeit der Schüler zu machen. In beiden Hinsichten hat die Schule auf die Unterstützung des elterlichen Hauses zu rechnen. Es ist die Pflicht der Eltern und deren Stellvertreter auf den regelmässigen häuslichen Fleiss und die verständige Zeiteintheilung ihrer Kinder selbst zu halten, aber es ist eben so sehr ihre Pflicht, wenn die Forderungen der Schule das zuträgliche Mass der häuslichen Arbeitszeit ihnen zu überschreiten scheinen, davon Kenntniss zu geben.

Die Eltern oder deren Stellvertreter werden ersucht, in solchen Fällen dem Director oder dem Klassenordinarius persönlich oder schriftlich Mittheilung zu machen und wollen überzeugt sein, dass eine solche Mittheilung den betreffenden Schülern in keiner Weise zum Nachtheile gereicht, sondern nur zu eingehender und unbefangener Untersuchung der Sache führt. Anonyme Zuschriften, die in solchen Fällen gelegentlich vorkommen, erschweren die genaue Prüfung des Sachverhalts und machen, wie sie der Ausdruck mangelnden Vertrauens sind, die für die Schule unerlässliche Verständigung mit dem elterlichen Hause unmöglich.

Dr. J. Köhler,
Gymnasial-Director.

